



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13156**



# JOANNIS SCHEFFERI Argentoratensis NOTÆ.

Ad Præfationem.

**I**N rei alicujus sacra.) Fuerunt & aliæ caussæ, cur nummis signa ejuscemodi imponerentur. Sic enim significabantur sæpe tributihonores, item munera publica, & id genus, qvod ex nummis Cæsarum & Augustorum liqvet. Sæpe sic gestarum rerum servabatur memoria. Sæpe nummi ipsi pretiumq; illorum sic indicabantur, qvod ex bigatis, victoriatis & similibus est notum.

*De carrorum.*) Ita noster voce Italica. Rectius *vehicula* dicerentur. Nam carrus species vehiculi, non genus.

*ὄχημα*.) Hoc nihil differt à præcedenti, qvippe cujus casus est secundus. Videtur Pignorius exiguam Græcarum litterarum peritiam habuisse.

*Sub nomine plaustri sunt multi carri.*) Putat, plaustrum qvoque generale nomen esse. Ac sic sæpe in sequentibus. Sed hoc falsum.

### Cap. I.

*Ἀμαξίας.*) Occurrit in hac voce, qvod supra in voce *ὄχημα* à nobis observatum est.

*Παρά τῶν.*) Hæc ex Suida sunt desumpta, qvi sic explicat *ἀμαξίαν*. Itaq; nil faciunt ad *ἀμαξίαν*, cum *ἀμαξία* sit ab *ἀμαξα* non hoc ab illo.

fff 3

Quadri-

*Quadriga Erichtonii.*) Hoc non lectum mihi; Vellem itaque, ut auctorem idoneum nominasset.

*Syselli.*) Videtur Cypselum intelligere. Sed de curru ejus talis nil reperio apud alios.

*Equis appositæ erant alæ.*) Nec hoc lectum mihi. Et vide, quæ de curru Solis dixi libro primo. Pelopis equos facit alatos Pausanias in Eliacis I. verum ibi agit de statua eorum sic formata: Ἐκατέρω μὲν δὴ δύο ἀλῶν εἰσὶν ἵπποι, τοῖς δὲ τὸ Πέλοπος ἐστὶ περιφόρα καὶ πτερὰ. Quæ sic vertit Interpres: *Bigis uterque invehitur, sed pinnati sunt Pelopis equi;* Cum debuisset: *Quisque equis utitur duobus;* Cum sit sermo de ἀμίπποις.

*Quæ vocabula idem notant.*) Falsum hoc, nec, ubi Græcum ἀμάξα, ibi statim de plastro cogitandum. Sæpe generalis vox est.

*Pilenti, Carpentii.*) Omnia hæc distincta sunt, quod ipse noster non dissimulare potest in sequentibus.

*Carpentophorus.*) Hunc ego nusquam reperio, & ex explicatione liquet, καρπόφορον in animo habuisse. Sed nec καρπόφορος, seu carpophorus, de vehiculo invenitur, & plane imperitia linguæ Græcæ obstitit Ligorio. Ad postremum decimæ, quas hic memorat, Romanis penitus fuerunt ignotæ.

*Carpentum fastigiatum.*) Quid est, *fastigiatum?* & quare *fastigiatum?* Sequitur apud Tacitum: *Suum quoque fastigium Agrippina altius extollere.* Hinc natum carpentum fastigiatum, quod est prorsus ineptum.

### Cap. II.

*Plane sicut carpentum.*) Hoc verò falsum esse docent, quæ de vehiculo utroque differui.

*Fuisse repertum in Hispania.*) Dicam infra, cap. 23.

*Sculptos in hunc modum.*) Utinam nobis eos exhiberet quispiam delineatos diligenter, multum sine dubio juvarent institutum hoc. Nunc ignorare cogimur, nunquam, quod sciam, publicatos.

### Cap. III.

Δύτροχον.) Hoc propriè non est ciseum, sed vehiculum quodlibet,